


R 2821

A. M. D. G.  
3  
שמע משובב אחרנית  
SIVE

SOL RETROGRADUS  
DISSERTATIO

*Advers. 8. cap. xxxviii. Iſ.*

HABITA IN COLLEGIO ROMANO  
A PATRIBUS SOCIETATIS JESU  
Anno MDCLVI. Mensi Augusti die xxx.



ROMÆ, MDCLVI.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI BIBLIOPOLÆ  
IN FORO SANCTI IGNATII.  
SUPERIORVM FACULTATE.



1221514X

1623 n





I.



RIA sunt, quæ de Solis per X. lineas in Horologio Achaz Retrocessione, quam optante Ezechia Rege, atque orante Iсаia Propheta contigisse Sacrae Literæ lib.IV. Reg. cap.20. & lf. cap.38. diserte testantur, ab Hebræis, atque Christianis Scriptoribus potissimum disputantur, Modus scilicet ejus Retrocessionis, Locus, & Tempus. Hinc tres illæ exsistere Quæstiones tanta opinionum varietate, tanto etiam partium studio tractatæ, I. Utrum ad Iсаiae preces Sola Umbra in Horologio Achaz decem lineis retrocesserit? II. Quid rei fuerit Horologium Achaz, in quo Umbra retrocessit? III. Quam temporis mensuram illæ, quibus Umbra retrocessit, lineæ designarint? Quæ quidem Quæstiones si vere, solide, atque dilucide fuerint explicatæ, cetera omnia, quæ ad prodigiij hujus cognitionem faciunt, facile consequentur. Has igitur ipsas Quæstiones tres ex Hebraico utriusque loci indicati Textu, atque in primis ex Vers.8. cap.38. lf. (cui proinde Dissertatiunculam hanc inscribimus) examinandas definiendasque aggredimur, ut ad Portenti hujus omnino singularis, ac plane divini veritatem & confirmandam, & illustrandam, nostram quoque opellam, hebraicasque literulas conferamus.

II. Atque ut statim ad I. Quæstionis (in qua ex disertissimis verbis cap.20. lib.IV. Reg. v.ii. ab omnibus verissime supponitur Umbræ regressus) definitionem accedamus: Afferimus I. Ad Iсаiae preces non Sola Umbra in Horologio (juxta Vulgatam Editionem) vel (juxta Hebræum Textum) in Scala Achaz, sed ipsum quoque Solare Corpus in Cælo vere, & proprie re-

trocessit. Id vero ex Vers. 8. cap. 38. If. ita constare defendimus; ut prudenter in dubium revocari non possit, cum locus ille & ab Ecclesia Judaica ante Christum Natum, & post Christum Natum ab Ecclesia Catholica semper hoc sensu fuerit intellectus; &, si litera ipsa ejusdem loci ex Hebraicæ linguæ proprietate, ex Textu, atque ex Contextu accurate expendatur, alio sensu intelligi omnino non possit.

III. Priorem Assumpti hujus partem & perpetua Hebræorum Traditio, & perpetuus Ecclesiæ Catholicæ Sensus demonstrat. Perpetuæ Hebræorum Traditionis Testes producimus nec paucos, nec incertos; scilicet ex VIII. ante Christum Sæculo, hoc est ab ipso Ezechiani signi tempore, Isaiam Prophetam in Commentario de Ezechia Gestis, quem inscriptum fuisse: *Visione Isaiae filii Amos Prophetæ*: & insertum Generalibus Regum Judæ, & Israelis Annalibus, qui ad publicam memoriam in templi Tabulariis asservabantur, constare videtur ex lib. II. Paral. cap. 32. v. 32. in cuius Hebræo Textu legimus; וְיַהֲיֵה: sive: *Vejether dibrè yehhizkiiāhu vebhasadaju binnām chethubim bahhazōn Je-sahijahū ben-Amōs hannabi ſhal-ſepher Malchē Jehudā veiſrael*: hoc est: *Reliquum autem Gestorum Ezechiae, & Meritorum ejus ecce scriptum est in Visione Isaiae filii Amos Prophetæ super librum Regum Iuda, & Israel*. Ex Sæculo A. C. VI. Scriptorem Librorum Paralipomenon lib. II. cap. 32. v. 24. & 31. quem Scriptorem huic Sæculo assignamus, quia ex sententia R. Mosis Kimchi & R. Salomonis Sixtus Senensis lib. II. Bibliothecæ, Joannes Driedo lib. I. de Script. Eccl., Lyranus, Abulensis, aliquique docent, eum Scriptorem fuisse Esdram, qui hos Paralipomenon libros ex Genealogiis, Censibus, & Annalibus Regum Judæ, & Israelis (atque adeo quoad res Ezechiae ex prælaudata Isaiæ Visione iis inserta) & collegerit, & digesserit. — Ex Sæculo A. C. III. omnes LXXII. interpretes. — Ex II. A. C. Sæculo Scriptorem Libri Ecclesiastici cap. 48. v. 26. — Ex ultimo A. C. Sæculo Chaldæum Paraphraſten Jonathan in Targum cap. 38. If. — Ex I. Christi Sæculo Flavium Josephum lib. X. Antiq. Judaic. cap. 2. — Ex III. Doctorem illum Judæorum, cuius a se consulti responsionem refert Eusebius Cæſariensis in cap. 39. If. — Ex IV. facrorum locorum (ut vocat S. Hieronymus, in cap. 38. If.) Monstratores, quos idem S. Doctor affirmat sua illa ætate solitos ostendere intra Conſeptum Templi Gradus Ezechiae, vel Achaz, quod per eos Sol descenderit. — Ex IX. Authorem libri, qui inscribitur; *Pirkè Elieñezer*: i. e.; *Capitula R. Eleazar*.

Ezeazaris : & Doctum ( sic enim appellat Rabanus Maurus ) Hebræum, quem Viri Clarissimi, qui Parisiensem Operum S. Hieronymi Editionem adornarunt, demonstrant authorem Quæstionum Hebraicarum in Lib. Reg. & Paral. olim S. Hieronymo attributarum . — Ex XI. Davidem Kimchium . — Ex XII. Moysen Nachmanidem Gerundensem . — Ex XV. Isaacum Abrabanelum Lusitanum . — Ex XVII. Manassen filium Israelis Hispanum . Non defuerunt quidem apud Hebræos nonnulli ( quos sine nomine citat hic ipse Manasses in suo Conciliatore q.ii. in Deuter., & quos inter sine dubio recensendus est Salomon, ut vocant, Jarchi in Comment. ad cap.20. lib.IV. Reg. ), qui contra perpetuam Majorum suorum Traditionem non dubitarunt asserere, Isaiæ circa umbram miraculum in Umbra tantum graduum, non autem in Sole fuisse factum . Sed quam ingrata ipsi met Hebræis hujusmodi fuerit interpretatio, conjici potest ex eodem Manasse, qui post relatam in loco citato istorum opinionem, & suo, & gentis suæ universæ nomine ita publice testificatus est : sed hoc **UT VERITATI CONTRARIUM NOBIS DISPLICET.**

IV. De Perpetuo autem Ecclesiæ Catholicæ Sensu dubium esse non potest . Patres enim, Scriptoresque Ecclesiastici priorum XII. Sæculorum, quotquot in suis, quæ supersunt, scriptis de Ezechia Signo meminere, omnes ita explicant, ut Solem ipsum in Cælo inaudito retrocessisse significant . Id quod ne Oratorie magis, quam Historice dictum videatur, ( quoniam, ne infiniti simus, ipsa singulorum Patrum, verba excibere non possumus ) subjicimus Indicum Chronologicum & Patrum quorum Testimonia in promptu habemus, & Locorum, in quibus illa extant . Tradunt igitur, in Ezechia gratiam Solem in Cælo retrocessisse — Ex I. Ecclesiæ Sæculo S. Dionysius Areopagita Epistola 7. ad Policarpum . — Ex II. S. Hyppolitus Portuensis apud Glycam Annal. part.2. — Ex III. Origenes Adamantius tract.30. in Matth. — Ex IV. Eusebius Cæsariensis in cap.39. If., S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathech.2, S. Gregorius Nazianz. orat.19., S. Euystathius Antiochenus apud Glycam, ubi supra, Scriptor Chronicus Paschalis pag.116. Edit. Paris., S. Ephrem Syrus in cap.20. lib.IV. Reg. & in cap.39. If., S. Joannes Chrysostomus homil.27. in Ep. ad Hebr. & homil.10. ad Pop. Antioch. & homil. in Psal.142., S. Hilarius Piëtaviensis Prologo in Cantica 15. graduum . — Ex V. S. Hieronymus in If. lib.III. & XI., S. Augustinus lib.XXI. de Civit. Dei cap.8., Joannes Cassianus lib.XI. cap.10., S. Paulinus Nolanus Poem. 22. ad Joyum, Aurelius Prudentius, sive Author

Euchi-

Enchiridii Vet. Testam., Sedulius Presbyter in Operे Paschali,  
 Author librorum de Promissionibus Dei, S. Prospero Aquitani-  
 co attributorum, p.2. cap.32., S. Cyrillus Alexand. in Isaiam lib. III.  
 tom.4., Theodoreetus Interrog. 52. in lib. IV. Reg. & in Psal. 20.  
 — Ex VI. Procopius Gazæus in cap. 38. lf., Cosmas Egyptius  
 Topographia Christianæ lib. VII. & VIII. — Ex VII. S. Isidorus Hispalensis in lib. IV. Reg. c.6., Author Commentariorum in  
 libros Regum, qui S. Eucherio Lugdunensi tribuuntur, ad cap. 20.  
 lib. IV. Reg., Marcus Aurelius Cassiodorus lib. de Astronomia.  
 — Ex VIII. Elias Cretensis in Commentario ad Orat. 19. Na-  
 zianzeni, Author librorum de Mirabilibus Sacræ Scripturæ lib. II.  
 cap. 28., Georgius Syncellus Chronographiæ pag. 200. edit. Parif.  
 — Ex IX. S. Ado Viennensis in Chronico, Ætate V., Angelomus  
 in Stromatis in lib. Reg. ad cap. 20. lib. IV., Rabanus Maurus  
 in Commentariis in eundem locum, & ad cap. 48. Ecclesiasti-  
 ci. — Ex X. Radulfus Flaviacensis in Levit. lib. XII. cap. 1. — Ex  
 XI. Georgius Cedrenus in Historiarum Compendio pag. 108. Edit.  
 Parif., S. Petrus Damiani Serm. de S. Bonifacio. — Ex XII. Joannes  
 Zonaras Annal. lib. II. pag. 111. Edit. Parif., Michael Glycas An-  
 nal. p.2. pag. 194. cijusdem Edit., Petrus Comestor Historiæ Scho-  
 lasticæ lib. IV. cap. 30., Hervæus Dolensis in cap. 38. lf. — Quod  
 vero attinet ad cæteros, qui VI. posterioribus Sæculis in Catho-  
 lica Ecclesia floruerunt, Doctores, Interpretes, Historicos, & Chro-  
 nologos, eos quoque, ubicumque Ezechiani Signi explicandi lo-  
 cus incidit, communi consensu docuisse, in Ezechia gratiam  
 Solem a Deo in medio cursu retentum, atque retrorsum mira-  
 biliter fuisse conversum, notum adeo, per vulgatumque est, ut  
 opus non sit singulorum nomina, & tatemque recensere.

V. Existit quidem Sæculo XV. ineunte Paulus de S. Maria,  
 ex Iudæo Christianus, deinde Burgenis Episcopus, qui Rabbi-  
 nicam, de qua §. superiore diximus, interpretationem, quam  
 adolescentis ab Hebræis Magistris didicerat, jam pene sepultam  
 exsuscitavit, eamque honestius reformatam, & ad quamdam pro-  
 babilitatis speciem compositam primus ( quod sciamus ) inter  
 Christianos evulgavit in Additione ad Postillam Lyrani in cap. 20.  
 lib. IV. Reg. Sed non minus ingrata Catholicæ Ecclesiæ accidit  
 Rabbinica isthæc doctrina, quam ex recitato Manassis testimo-  
 nio Judaicæ ipsi Synagogæ displicerit. Nam in primis ex Ca-  
 tholicis, quos ego viderim, Interpretibus, Burgenis ætate po-  
 sterioribus, vix unus inventus est Benedictus Arias Montanus, qui  
 ea in re cum Burgeni conseruit; cæteri ad unum omnes ejus  
 opinio-

opinionem mira concordia impugnarunt. Deinde non pauci, quos inter Matthias Thoringus in Replica ad Addit. Burg., Gabriel Alvarez in cap. 38. If., & Nicolaus Serarius in eundem locum q. 20. argumentis omnibus & Burgensis, & Montani singillatim, & accurate expensis, demonstrarunt, quidquid ab utroque contra communem sententiam oppositum est, & que probare, siquid probat, Josuanam quoque Solis in Cælo Stationem (quam tamen uterque & agnoscit, & affirmat), imo præstantissima quæque in Sacris Libris recensita Miracula esse confidentissime deneganda; quidquid vero pro sua propositum est, id omne vel falsis præjudiciis, atque arbitrariis præsumptionibus niti, vel Sacræ Scripturæ verba a proprio sensu ad improprium, nulla justa causa cogente, & certissimis interpretandi legibus repugnantibus, violenter detorquere. Plures præterea, neque ii ignobiles, Interpretes ex Fabula illa Rabbinica a Christianis Scriptoribus iterum data stomachati sunt adeo, atque offensi, ut Augustinus de Quiros in cap. 38. If. : *malignam tam grandis portenti extenuationem*: Michael de Palacio lib. VI. in If. tom. 2. : *monstrosum figmentum*: Jacobus de Valentia in Cantic. Ezech. : *temerariam*: Matthias Thoringus in Replica etiam: *irrationalem, atque phantasticam*: appellare non dubitaverint. Denique Gaspar ipse Sanctius, quamquam in eam opinionem animo esset adeo propenso, ut in ea ab omni etiam improbabilitatis nota vindicanda in suis ad Lib. Reg. & If. Commentariis studiosissime laboraverit, non tamen ausus est illam amplecti; causamque cur non faceret, et si maxime vellet, sapiente, modesto, atque Catholico Sacrorum Librorum Interpretre dignissimam reddidit his verbis, quibus argumentorum pro Burgensis sententia explicationem conclusit: *Hæc posteriora, mibi videntur diei posse non improbabiliter: quæ ego complecterer omnino, nisi constans pene omnium Patrum, & Interpretum authoritas ab hac cogitatione deterruisset. Ut enim durum est niti contra impetum fluminis, sic contra Doctorum communem sensum. Quare licet hæc non improbum, cum pluribus censeo esse sentiendum: Quæ una vox Hominis tantæ profecto doctrinæ, quantam ejus Scripta declarant, satis ostendit, quam graviter fallantur ii, qui ea una de causa, quod Burgensis, & Montanus, apprime Catholicæ Scriptores, aliter senserint, liberum sibi, atque integrum arbitrantur, contra perpetuum Ecclesiæ Sensum, unanimemque Patrum Consensum, atque adeo contra Tridentini Concilii Decretum de Editione, & Usu sacrorum librorum, aperte, diserteque negare,*

Sign

Signi Ezechiani occasione una cum Umbra in Horologio Achaz Solem etiam ipsum in Cælo contra constantissimas Naturæ leges retrorsum fuisse conversum.

VI. Quod autem Versus 8. cap. 38. Is., si litera ipsa ex Hebraicæ Linguæ proprietate, ex Textu, atque ex Contextu accurate expendatur, alio sensu intelligi omnino non possit, ( quæ erat Assumpti positi pars posterior ), non possumus clarius ostendere, quam per plures Propositiones singulorum, quibus hic locus constat, vocum literalem sensum definiendo. Hic porro locus, quem Vulgata Editio sic exhibet : *Ecce Ego reverti faciam Umbram linearum, per quas descenderat in Horologio Achaz in Sole, retrorsum 10. lineis, & reversus est Sol 10. lineis per gradus, quos descenderat.* In Hebræo Textu sic sonat. הנִי מִשְׁבַּן וָנוּ five : *Hinneni mescib eth-Sel hammaḥaloth, ascèr jaredà bemaḥaloth Abbaz basscèmesc, abhorannith h̄eser maḥaloth. Vatthāscob basscèmesc h̄eser maḥaloth bāmmaḥaloth, ascèr jarada.* Sit ergo

VII. Propositio I. Nomen : מַלְאַלּוֹת : five : *Maḥaloth* : in hoc versu quinques omnino repetitum literali sensu significat veros solidosque Gradus, quibus ea constabat Scala, quæ ex Authoris nomine absolutè hoc ipso in loco : *Maḥaloth Abbaz* : five : *Scala Acbaz* : appellatur. Id quod ex argumentis, quæ in II. Quæstionis explicatione proferemus, interim non injuria supponimus.

VIII. Propositio II. Nomen : סֵל : five : *Sel* : in ea particula : *eth-sel hammaḥaloth* : quam Vulgata reddit : *Umbram linearum* : & LXX. τὸν σκιὰν τῶν ἀναβαθμῶν : i. e. : *Umbram graduum* : literali sensu significat Umbram proprie dictam, scilicet ab opaco corpore, cuius esse Umbra dicitur, projectam, idemque, a quo projicitur, opacum corpus ex averfa parte obscurantem. Et Ratio est : quia & nomen illud proprie sumptum id significat ; & in hoc v. 8. non metaphorice, sed proprie usurpatur. Prima pars constat ex communi sensu omnium Hebraicæ linguae peritorum ; ex apertissimis Sacrae Scripturæ locis, in quibus hæc ipsa ejus nominis sine ulla improprietate usurpati significatio est manifesta ; ex ratione denique congruentissima, quia scilicet Hebraica lingua præter nomen : *Sel* : aliud habet omnino nullum, quod Umbram proprie dictam ( cuius scilicet demonstrandæ in humano commercio frequentissima incidit vel occasio, vel necessitas ) proprie notet ; & ubi sine dubio eam ipsam Umbram definite exprimit, nomen : *Sel* : constanter usurpat. Pars vero II. æque constat ex Textu, atque Contextu, qui de impropria ejus nominis significatione suspicionem omnem

quam

quam longissime removent; ex Versionibus Latina, & Græca relatis, in quibus nomen illud redditur nominibus: *Umbra*: &: *Σκια*: quibus linguae, Latina, & Græca, nullum habent aptius ad Umbram propriæ dictam demonstrandam; denique ex tacito Consensu omnium Interpretum, cum Hebræorum, tum Christianorum, a quibus de proprio ejus nominis, hoc in loco, usu dubitatum est (quod sciamus) omnino numquam.

IX. Propositio III. Verbum: *שׁוֹב*: *sive scùb*: bis in hoc versu usurpatum, semel in participio præsenti Conjug. Hiphil in voce: *Mescìb*: iterum in 3. persona foemina futuri Kal cum Vau conversivo in voce: *Vatthàscob*: literali sensu significat motum localem retrogradum, transitive quidem in prima voce, intransitive autem in secunda. Probatur autem hæc Propositio eodem, qua præcedens, ratione: nam & verbum: *Scùb*: proprie sumptum significat motum localem retrogradum, intransitive in Kal, transitive in Hiphil; & in utraque voce prædicta non metaphorice usurpatur, sed proprie. Constat prima pars ex unanimi sensu omnium Hebraicæ Linguae peritorum, ex quibus unum profero Christianum Stockium, qui in sua Clavi ad radicem: *Scùb*: ita pronuntiat: *Proprie notat redire, vel reverti ad locum, vel terminum, unde quis venit, vel egressus est;* ex frequentissimis Sacrorum Librorum locis, in quibus sine controversia verbum: *Scùb*: & proprie dicitur, & localem motum retrogradum significat; ex aliis omnibus metaphoricis significationibus, quæ eidem verbo attribuuntur: neque enim afferti potest alia ratio, cur Verbum hoc tanta cum elegantia traducatur ad significandum omne genus Reditus sive realis, sive metaphorici, sive affectivi, sive moralis, nisi quia omnes ii Reditus, etsi longissime inter se distent, in eo tamen convenient, quod sint Reditus aliquiscumque, atque adeo apti qui eleganti tropo significantur eo verbo, quod ad Reditum proprie dictum, hoc est ad localem motum retrogradum indicandum primo, & per se est institutum; denique ex probabilissima ratione, quia scilicet ex omnibus Hebraicis Verbis nullum est præter: *Scùb*: quod motum localem retrogradum proprie designet; & in omnibus Sacrae Scripturæ locis, in quibus certo de motu locali retrogrado sermo est, unum idemque verbum: *Scùb*: repetitum occurrit.

X. II. autem pars in dubium vocari non potest. In primis enim & nulla e metaphoricis significationibus, ad quas Hebræa Lingua verbum: *Scùb*: eleganter amat transferre, eidem verbo, ut in duplice prædicta voce inclusio, potest accommodari; &

genus ipsum divinæ Promissionis , quæ potissimum prima voce : *Mescib* : continetur , stylusque Narrationis de ejus Promissionis eventu , quæ similiter secunda voce : *Vatthas̄cōb* : præcipue comprehenditur , propriissimam , simplicissimamque ejusdem verbi in utraque voce acceptionem omnino postulant . Deinde adverbium locale : *Abborannith* : quod sine dubitatione idem omnino valet , atque : *Retrorsum* : & quocum evidenter construitur participum : *Mescib* : & elliptice etiam futurum : *Vatthas̄cōb* : necessario cogit verbum : *Scūb* : ( quod sine controversia est verbum Motus ) in utroque inclusum ad motum localem retrogradum præcise ac definite significandum . Neque minus clare propriam verbi : *Scūb* : hoc in loco acceptionem demonstrat Locus alter parallelus ex c.20. lib.IV.Reg., in quo & idem Verbum cum in Kal, tum in Hiphil recurrat , & ita recurrat , ut in v.9. contraponatur verbo : **לֹה** : sive : *Halāb* : quod sine dubio motum localem progressivum designat ; & in v.10. contraponatur verbo : **נָבָד** : sive : *Natāb* : quod cum de Umbra dicatur , non potest aliud significare , quam Umbram crescere & antrorsum produci ; & in v.11. construatur cum prædicto motus localis retrogradi adverbio : *Abborannith* . Confirmant Præcipue Versiones omnes , Latina , Græca , & Chaldaica , quarum unaquæque utramque vocem ; *Mescib* : & : *Vatthas̄cōb* : exposuit per verba , quæ ex propriæ linguae dialecto localem motum retrogradum vel activa significatione important , vel neutrali . Confirmant omnes Patres , & Interpretes , qui totum locum hunc de retrogrado Solis in Cælo , vel saltem Solaris Radii in Horologio Achaz motu semper intellexerunt . Confirmat denique Canonicus Ecclesiastici Scriptor , cui adeo persuasum fuit , verbum : *Scūb* : hoc in loco non metaphorice sumi , sed proprie , ut in v.26. cap.48. in quo insigne hoc Isaiae Prophetæ portentum commemorat , diserte scripsiterit : *In diebus ipsius RETRO REDIIT Sol* : sive : ut significantius habet Græcus Textus : *ΑΝΕΠΟΔΙΣΕΝ* : i. e. ad literam : *pedem retulit* : vel , si Luciliano verbo uti licet : *REPEDAVIT*:

XI. Propos. IV. Beth Præfixum nomini Solis in voce : *Basscemesc* : literali sensu significat societatem , & concomitantiam , idemque valet , ac præpositio : **בְּ** : sive : *H̄m* : idest : *CUM* : vel : *VNA CUM* : atque adeo tota illa vox : *Basscemesc* : literali sensu significat : *VNA CUM SOLE* . Et Probatur : quia ex una parte vox illa : *Basscemesc* : syntactice refertur ad præcedens : *Mescib* : constructum cum accusativo : *eth-ʃēl bammaḥaloth* : ita ut reliqua , quæ interseruntur , verba : *ascēr jaredā bemaḥaloth Abbaz* ; i. e. quibus descendit in Scala *Acbaz* :

*Achaz* : perinde se habeant , ac si parenthesi essent inclusa , sensusque sit : *Ecce ego redire facio Umbram . . . in Sole* : ex altera parte in ea voce ita constructa præfixum Beth literali sensu & potest & debet societatem , & concomitantiam significare , & quoad vim potestatemque Copulativæ Præpositioni : *Him* : i. e. : *Cum* : vel : *Vna cum* : æquivalere . Priorem partem demonstrare facile possumus I. ex Hebrææ Linguae dialecto , cui syntaxis Verborum motus cum ablativo concomitantia per Beth præfixum expresso est frequentissima ( Exempli gratia in re certissima sufficiat illud , quod de Anna Samuelis Matre dicitur I. Reg. I. 24. : *Vattha-halēhu ḥimmāb caacer ghemaltū , bepharīm sceloscāb , veepha ahbath Kēmabb , venēbel iidin , vatthebiēnu Beth-Adonāi Scilō* : i. e. : Et ascendere fecit , sive adduxit ( *Anna* ) eum ( *Samuelem* ) secum , postquam ablactavit eum , *IN VITULIS TRIBUS* , & epha una fari- na , & utre vini , & intrare fecit , sive induxit eum in Domum Domini in Silo : ubi , ut patet , verbum : *נִיְהַ* : sive : *Halāb* : i. e. *Ascendit* : ( quod nemo negarit , esse verbum motus ) evidenter construitur cum Ablativo concomitantia duplici , altero Mater- nae personæ expresso per præpositionem : *Him* : in voce : *Him- māb* : i. e. *Secum* : altero oblationis una cum Filio delatae , expresso per Beth præfixum in voce : *Bepharīm* : i. e. *In vitulis* : scilicet : *una cum vitulis &c.* ) II. ex Textu : III. ex toto Con- textu : IV. denique ex ratione , inde petita , quod nihil sit aliud , ad quod , salvis Hebrææ Grammaticæ Regulis , referri possit : Sed ad ejus veritatem confirmandam satis superque arbitramur unam LXX. Interpretum autoritatem , qui dubitationem omnem ut tollerent , cum priorem particulam : *Hinneni mesčb eth-sel ham- maḥalōth* ? reddidissent : *Ιδε εγώ σπέψω τὸν σκιάν τῷν αἰαβαθμῶν* : i. e. : *Ecce ego vertam Umbram graduum* : unicam eam vocem : *Basscēmes* : per integrum propositionem ( repetito eodem verbo , & quidem composito , atque adeo intensioris significationis ) exposuerunt : *Αἴποτρέψω τὸν Ήλιον* : retrorsum convertam Solem : quare audiendi non sunt paucissimi quidam Interpretes , qui putant , eam voculam referri ad immediate præcedentia : *Bcma- ḥalōth Abbaz* : sensumque esse : *In Horologio Achaz , quod est ad Solem , sive Solari* : Ei quippe interpretationi repugnare convin- citur I. subjecta ipsa Materia , II. propria Hebrææ Linguae dia- lectus , III. Totus hujus loci Contextus , IV. Præcipua Versio- nes omnes , V. Unanimis cæterorum omnium Interpretum , cum Hebræorum , tum Christianorum consensus .

XII. Ad posteriorem autem partem , quod attinet : Quod



Præfixum Beth in voce : *Basscèmesc* : literali sensu significare possit Societatem , atque Concomitantiam , Probant infinita Sacrae Scripturæ loca , in quibus ea Præfixi Beth significatio est evidentissima . Unum exempli gratia proferimus locum , in quo omnino sexies occurrit Beth hujusmodi societatis . Exodi 10. 9. ita Pharaonem Moses alloquitur : *Bin karenènu , ubizkenènu nèlech* : *Bebanènu , ubibnothènu , Besonènu , ubibkarènu , nèlech* : i. e. : *Una cum pueris nostris , & una cum senibus nostris ibimus* : *Una cum Filiis nostris , & una cum Filiabus nostris* : *Una cum Oribus nostris , & una cum Bobus nostris ibimus* : . Quod vero etiam debeat , Confirmat notissima illa Præfixi Beth divisio ab Hebræis Grammaticis receptissima in : *Beth hañezer* : i. e. : auxiliis ; (quod notat causam , instrumentum , aut modum Actionis) & : *Beth haccheli* : i. e. : *Vasis* : (quod notat subjectum in quo) , & : *Beth haddibùk , vəhanneghilāb* : i. e. : *adhæsionis , & accessus* : (quod notat utrumque) . Evidens enim est , Beth Præfixum in voce : *Basscèmesc* : neque *Beth hacchelà* esse , neque *haddibùk* (cum umbra neque in Sole recedere possit , neque ad Solem accedere) : Supereft ergo , ut sit *Beth hañezer* ; adeoque modum recessus Umbræ in Gradibus , quem Deus se effeturum promittit , designet , scilicet societatem , atque concomitantiam ipsius cum retrogressione Solis in Cælo ; atque adeo valeat idem , atque Præpositio : *Him* : i. e. : *Cum* : vel : *Una cum* : .

XII. Propos. V. Nomen : שְׁמֵשׁ : five : *Scèmesc* : bis in hoc versu repetitum , semel in voce : *Basscèmesc* : iterum in voce : *Hasscemeſc* : literali sensu significat ipsum Solis Corpus , non autem solam Solis Lucem , & singularem Radium in Gradus Achaz incurrentem . Et probatur : quia ex una parte nomen illud proprie acceptum adeo proprie Solem ipsum significat , ut Hebræa Lingua universa aliud habeat omnino nullum , quo ipsum Solare Corpus demonstrare proprius possit . Constat hoc cum ex Etymologia , tum ex Usu : Ex Etymologia , quia derivatur ex Chaldaica Radice : *Scammèsc* ; in Pahel i. e. : *Ministravit* : , ex eaque & verissime , & aptissime Sol per quamdam excellentiam dictus est : *Scèmesc* : , quasi *perpetuus* , & *indefessus in administrando Lumine Mundi universi MINISTER* : Ex Usu , quia cum in Sacris Libris reliqua nomina , quibus Hæbreæ lingua Solem nominat , nempe : *הָרֶם* : & : *הַמָּה* : i. e. *Hheres* : & : *Hhammàb* : vix ter , & quater legantur ; Nomen : *Scèmesc* : unum , centies , ut minimum , & vicies est repetitum ; & quidem cum iis Adjunctis , quæ solius Solaris Corporis propria sunt , illaque in

in locis, in quibus non, nisi de ipso Solari Corpore, sermo esse potest. Ex altera vero parte idem nomen ut in duplice praedicta voce inclusum propriissime usurpari, multa, ut nobis quidem videtur, satis aperte demonstrant. Demonstrat I. Consensus trium præcipuarum Versionum Latinæ, Græcæ, & Chaldaicæ, in exponenda utraque vocula per ea nomina, quæ in unaquaque lingua ad ipsum Solis Corpus designandum primo, & per se sunt instituta scilicet : SOL : ΗΛΙΟΣ : ☰ : five : Scimscā : qui quidem consensus, nisi nos vehementer fallimur, argumento est satis luculento, earum Versionum Authores, homines profecto Hebraicæ Linguae, Sacræ Scripturæ, & legitimæ de vero hujus loci sensu Traditionis scientissimi, Tropum nullum, nullam Causæ pro effectu Synecdochen in nomine : Scēmesc : hoc in loco latentem animadvertisse. Demonstrat II. He demonstrativum nomini : Scēmesc : Præfixum, expresse in voce : Hasscēmesc : , tacite in voce : Basscēmesc : Inductione enim facta per omnia & singula loca, in quibus idem nomen cum eodem Præfixo construitur ( sunt autem, ut in Hebraicis Concordantiis videre est, numero fere centum ), ne iis quidem exceptis, in quibus ex communi loquendi Regula in tritissimo illo Axiomate : Actiones, & Passiones sunt suppositorum : fundata, Actiones, & Passiones Solaris virtutis ipsi Solis supposito denominativè attribuuntur, manifestum est, ubicumque in Sacra Scriptura nomen : Scēmesc : He demonstrativo prænotatur, constantissime ipsum Solis Corpus literali sensu significare. Demonstrat III. Traditione de vera Solis in Cælo ad Isaiae preces retrogressione à xiv. Ezechiani Regni anno ( juxta Saliani supputationem ante Christum 731. ) ad nostra hæc usque tempora derivata ( de qua §. III. & IV. dictum est satis ) : quæ cum nonnisi in hoc ipso Isaiae loco fundari potuerit, plane convincit, omnes, quotquot per VI. omnino & XX. Sæcula floruerunt, ex Hebræis, atque Christianis, Sacrorum Librorum Interpretes ( paucissimis tantum, quos indicavimus, exceptis ) fuisse certissimos, Nomen : Scēmesc : in gemina voce : Basscēmesc : & : Hasscēmesc : ibidem inclusum, non Rhetorice, sed Historice, non translate, sed proprie esse usurpatum. Demonstrat denique IV. , & quidem luculentissime Textus ipse, atque Contextus, cuius omnes, & singulæ partes ( sunt autem omnino quatuor, duæ in Textu, Divina scilicet Signi Promissio, & Divinæ hujus Promissionis Eventus, duæ in Contextu, idest Antecedentia, & Consequentia ) omnino postulant, ut nomen : Scēmesc : in utraque voce inclusum, literali sensu

sensu ipsum Solis Corpus , non solam Solis Lucem , Radiumque significet ; atque adeo ut propriissime sit usurpatum . Id quod ut per partes distincte , atque ordinatae probemus , quatuor Lemmatis rem omnem complectimur . Sit igitur

XIII. Lemma I. Divina signi Promissio iis maxime verbis contenta : *Hinneni mescib eth - Sel hammahaloth .....* bassetmesca abhorannitb : idest ( ex Propos. 1. 2. 3. & 4. ) : *Fecce ego redire facio Umbram Graduum .....* una cum Sole retrorsum : omnino postulat , ut nomen : *Scemesc* : inclusum in voce : *Bassetmesca* : ( quæ ex Prop. 4. idem valet atque : *una cum Sole* : literali sensu Solē ipsum , non solam Solis Lucem in Gradus incurrentem significet . Et Ratio est : quia omnino postulat , ut res significata per nomen : *Scemesc* : constructum cum Beth societatis , & concomitantiae , sit vere altera a re significata per nomen : *Sel hammahuloth* : quæ ex Propos. 2. est Umbra Graduum Scalæ Achaz proprie dicta . Certum est enim , Copulativam Propositionem , quæ societatis , & concomitantiae nota sit ( qualis latinis est : *CVM* : , Græcis : *ΣΥΝ* : Hebræis : *οὐ* : sive : *Him* : & Beth Präfixum ) ex proprio significandi modo & supponere , & connotare veram alteritatem rei significatæ per nomen , quod ipsa regit , a re significata per nomen , ad quod ipsa refertur : Ubi siquidem non est alterum , & alterum , ibi nulla vera potest esse societas , nulla concomitantia , quæ sine controversia non ad se dicitur , sed ad alterum . Ipsum autem Solis Corpus non loco minus , quam natura ab Umbra Graduum distare nemo non videt . At sola Solis Lux , in Gradus Achaz incurrens , res vere altera ab eorumdem Graduum Umbra esse non potest : Umbra enim Graduum secundum rem , & veritatem nihil est aliud , quam ipsissima Solis Lux a Gradibus intercepta , non quidem in abstracto sumpta , sed in concreto : vel cedo quid aliud esse possit . Frustra sane res , quæ sit , quæretur , cum Umbra nomen sit rei , quæ non est , non rei , quæ est : Vere enim scripsit Augustinus Lib. 1. super Genes cap. 12. : *Ad quem locum cuiuslibet Corporis moles lucem pervenire non sinit , in eo loco umbra est : quoniam locus carens luce ea , qua illustraretur , nisi impidiret Corpus oppositum , hoc totum est , quod Umbra dicitur :* . Carentia autem lucis , quæ esset , si Corpus oppositum abesset , secundum rem , & veritatem nihil profecto est , cujus totum esse sit ipsum non esse lucis ( Entia enim abusiva , diminuta , mere objectiva jamdiu obsolevere ) , sed est Lux ipsa , quæ ideo in eo spatio , in quo esset , non est , quia Corpus oppositum adest ,

hoc

hoc est Lux ipsa ab opposito Corpore intercepta . Accedit , quod tenor ipse Divinæ hujus Promissionis solam Solis Lucem a Gradibus interceptam nomine : *Sèl hammaḥaloth* : i. e. : *Umbra Graduum* : significari permittit : Cum enim disertissime promittat localem motum retrogradum Umbræ Graduum , omnino necesse est , ut ea una res nomine illo hoc in loco significetur , quæ localiter mobilis sit : Spatium autem a Gradibus adumbratum , quatenus spatium , est prorsus immobile ; & Carentia lucis in spatio , quatenus carentia , est merum non ens , cuius sicut nullæ proprietates , ita localis motus est nullus : Sola vero Lux a Gradibus intercepta , sicut vere & est , & in loco est , ita vere capax est , quæ de loco in locum transferatur . Denique ipsis quoque Principibus contrariae , quam impugnamus , opinionis , Burgensi , Montano , Peyreiro adeo persuasum fuit , rem significatam per nomen Umbræ Graduum esse Lucem ipsam Solis in Gradus , vel , ut ipsi loquuntur , in Horologium Achaz incurrentem , ut hæc duo simul disertissime pronuncient , & solam Umbram in Horologio Achaz retrocessisse , & solam Solis Lucem in illud incurrentem retrorsum fuisse conversam : addantque æque diserte , idem omnino esse , & valere : *retrocedere eam Umbram* : ac : *retrocedere eam Solis Lucem* : , neque fieri potuisse , ut ea Umbra retrocederet , quin retrocederet ea ipsa Lux : quæ omnia prolati eorum verbis , si opus fuerit , demonstrabimus . Aut ergo necesse est , ut nomen : *Scèmesc* : in voce : *Basscèmese* : inclusum literali sensu Solem ipsum , non autem solam Solis Lucem in gradus Achaz incurrentem significet ( id quod erat probandum ) ; aut literalis Divinæ hujus Promissionis sensus hic erit : *Ecce ego retrorsum redire facio Solis Lucem in gradus incurrentem una cum eadem ipsa Solis Luce in Gradus incurrente* : , id quod de Divina promissione sine impietate ne cogitari quidem potest .

XIV. Lemma II. Divinæ hujus Promissionis Eventus , expressus verbis Immediate consequentibus , nempe : *Vatthàscob basscèmesc* : i. e. : *Et redit Sol* : omnino postulat , ut nomen : *Scèmese* : inclusum in voce : *Hasscèmesc* : literali sensu Solem ipsum significet , non vero solam Solis Lucem in Gradus incurrentem . Et Ratio est & facilis , & expedita : quia scilicet omnino postulat , ut illud idem significet , quod significat in voce : *Basscèmesc* : proxime præcedente . Quod assumptum efficaciter persuadet I. Communis non solum omnium & Hebræorum , & Christianorum Interpretum , sed ipsorummet , quos impugnamus ,



## ( XVI )

mus; Adversariorum consensus. II. Receptissima illa humanæ loquutionis lex, ut scilicet fraudis omnis, in loquendo, fallaciæque præcavendæ causa, unius ejusdemque vocis in una eademque sententia semel, & iterum sinæ ullo diversæ usurpatiōnis indicio repetitæ una quoque, atque eadem sit significatio. III. Artificium ipsum hujus narrationis in eo posítum, quod & immediate Divinæ Signi Promissioni subjuncta sit, & iisdem plane verbis, nominibusque, quibus illa promissio explicata est, sit contexta: quod artificium sicut in Mosaicis Narrationibus, quibus cap. I. Genes. refertur Eventus uniuscujusque Divini Imperii de unoquoque Creationis Opere, ex SS. Ambrosii Lib. I. Hexaem. cap. 9., & Augustini Lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 6. interpretatione, demonstrat, opus a Deo imperatum, a Divino Imperio nihil variasse; ita in hac Isaiæ Narratione ostendit, Signum re ipsa a Deo exhibitum Divinæ ejusdem Promissioni ad literam respondisse: id quod nisi nomen: *Scèmese*: in utraque voce inclusum idem prorsus significet, stare omnino non potest. IV. Constantissima inductio per cætera, quibus Narratio hæc continetur, & verba, & nomina, quorum omnium, & singulorum eadem est cum in Promissione, tum in Eventus Narratione significatio. V. Denique absurdissimum Paradoxum, quod diversa ejusdem nominis in utraque voce significatio inferret, scilicet aut Deum in Signo promisso præstanto, aut Isaiam in Signo a Deo præstito referendo infidelem fuisse. Ex Lenimate autem I. nomen: *Scèmese*: in voce: *Basscèmese*: inclusum Solem ipsum, non solam Solis Lucem literali sensu significat: Idem igitur eodem sensu significet inclusum in voce: *Hasscèmese*: neceſſe est.

XV. Lemma III. Idem quoque omnino postulant Antecedentia, hoc est verba vers. 7. immediate præcedentis, quæ sic habent: *וְאַתָּה תִּזְהַלֵּךְ וְאַתָּה מְאֹת הַאֲנָשִׁים*: sive: *Vezeh-lecha haoth meeth Adonai*, ch̄ jaliſəb Adonai eth-haddhabar, aſcer dibb̄er.: i. e.: *Hoc autem tibi (erit) signum a Domino, quod faciet Dominus verbum quod dixit.* Et ratio est, quia omnino postulant, ut Signum, cuius & promissio, & exhibitio refertur v. 8. immediate subsequenti, sit vere, & proprio SIGNUM A DOMINO, signum scilicet in genere signi maximum, & excellentissimum, hoc est verum, certum, inusitatum, eximiumque miraculum in prædictorum confirmationem a Deo factum. Hanc enim esse propriam, peculiaremque vim ejus periphrasis: *Haoth meeth Adonai*; i. e.: *Signum a Domino*: Probamus I. ex dupliči notissima

tissima Hebraicæ Linguæ Dialecto, altera adhibendi Dei nomina: *El*: *Elobim*: *Adonai*: Epitheti loco pro: *Divinum*: quo summum, & excellentissimum, aut maximum, & vehementissimum significatur; altera usurandi periphrastice pro adjectivo substantivum præcedente præpositione Beth, Lamed, & Mem, sive: *Min*: quæque idem omnino valet: *Meeth*: II. Ex concordi Hebræorum Grammaticorum Consensu, ex quibus exempli gratia unum proferimus Davidem Kimchium, qui ad vers. 12. cap. 26. Lib. I. Samuel., sive Reg. Canonem hunc generalem tradit: *Rem, quam (Scriptura) amplificare vult, jungit illam Deo: i.e. Dei nomini: & ad v. 10. Psal. 65.* addit non minus diftere; *Vox: Elobim: (i. e. Dei nomen) est cognomen rei maximæ, & admirabilis.*: III. Ex apertissimis Sacrorum Librorum Testimoniis, in quibus & hæc syntaxis occurrit, & hæc ipsa significatio est manifesta. IV. tandem ex unaniimi Patrum, Interpretumque sententia, qui literalem ejus periphrasis sensum diligentius explicuere. Signum autem, cuius & promissio, & exhibito v. 8. refertur, esse hujusmodi, facile intelligitur, si nomen: *Scèmesc*: in dupli sæpius jam dicta voce inclusum, literali sensu significet Solem ipsum; ut quisquis per se videt: Non potest vero intelligi, si solam significet Solis Lucem, hoc est, ut Adversariis placet, singularem Radium in unum Horologium Achaz incurrentem: Unius enim tantummodo Radii Solaris retrocessio, vel non est verum miraculum (cum nondum demonstratum sit, Naturæ universæ viribus fieri non posse, ut ea inducatur in medium, & condensatio, & rerefactio inæquabili varietate distributa, ex qua idem Radius per multiplices, & inæquales refractiones a recto, quem instituerat, cursu detortus, in objectum Horologii Gnomonem obliquus incidat); vel, ut ut miraculum sit, certum tamen (ne dum insitatum, eximiumque) non erit, cum subitus unius Umbellæ in uno Horologio regressus, cæteris interim quorumcumque corporum umbris immotis, & Sole ipso in omnium oculis cursum suum nihil admodum immutatum continuante, & ne puncto quidem temporis solito serius occidente, ab omni, vel occultæ fraudis, vel vanæ oculorum fallaciæ suspicione liber esse non possit. Omnino igitur postulant, ut nomen: *Scèmesc*: in prædictis vocibus inclusum literali sensu Solem ipsum, non solam illam Solis Lucem significet.

XVI. Lemma IV. Idipsum omnino postulant etiam Consequentia, Babylonica scilicet ad Ezechiam legatio, quam post

## ( XVIII )

absolutam Regii morbi, ejusque Adjunctorum narrationem toto cap.38. comprehensam, exposuit Isaias ipso v.1. cap.39. his verbis; וְיָהִי נֶבֶל: sive: *Bājeth habi scalābb Merodāch Balādān Ben-Baladan Melech-Babēl sepharīm, uminbhāb el-Hhizkijāhu: Vaijsmāh̄ chi bhalāb, vaijehbazak.*: i. e.: *Eo ipso tempore misit Merodach Baladan, Rex Babylonis literas, & munera ad Ezechiam: Audivit enim quod ægrotasset, & convaluisse: . Et Ratio est: quia omnino postulant, ut Signum, cuius promissio, & exhibitio refertur v.8. cap. præcedentis, fuerit Portentum universale, quod scilicet in universa terra, sive in mundo universo contigerit. Id quod probamus: quia ex una parte Portentum, ad cuius inquisitionem decreta est Babylonica isthæc legatio fuit hoc sensu universale ex v.31. cap.32. Lib.2. Paralip. in quo de eadem hac legatione ita legimus: וְכַיְן: sive: *Vechen bimlisē Sarē Babēl hammescallehhim ḥalāju lidrōsc hammonpheth, ascēr bajāb baares.*: i. e.: *At vero in legatione Principum Babylonis, mittentium ad eum (Ezechiam) ad inquirendum Portentum illud, quod factum fuerat in terra: Ubi nomen: Eres: i. e.: Terra: in voce: Baāres: i. e.: in Terra: literali sensu significare vel indefinite, & universim, terram universam, vel emphatice, & per synecdochen partis magis notæ pro toto, universum mundum contra Adversarios confidentissime pronuntiantes, demonstrare solam terram Juda constantissime defendimus I. Authoritate omnium fere Patrum, & Interpretum, II. familiari Hebraicæ Linguæ, quantum e Sacris Libris apparet, Dialecto, III. proprio Stylo Canonici utriusque Paralipomenon Libri Scriptoris, IV. denique Exclusione cujuscumque restrictæ, definitæque significationis. Ex altera parte Portentum, ad cuius inquisitionem decreta est Babylonica isthæc Legatio, esse illud ipsum Signum, cuius promissio, & exhibitio refertur v.8. cap.38. If. æque certum esse debet, ac certum sit, & non esse portentosam illam: 185000. ex Assyrio Sennacheribi exercitu una nocte ab Angelo Domini interfectorum stragem, qua Assyrium in Judam Bellum finitum est (quippe quam posteriorēm esse Ezechiae morbo, & curatione, atque adeo Merodachi ad ipsum Legatione, ejusdem morbi, & curationis occasione decreta, constat ex iis Dei ad Ezechiam adhuc languentem verbis v.5. & 6. cap.38. If.: *Ecce ego adjiciam super dies tuos xv. annos, & de manu Regis Assyrorum eruam te, & Civitatem istam, & protegam eam &c.*: quæ plane demonstrant, ad id usque temporis neque Ezechiam, neque Jerusalem de Assyriorum**

rum manu erutos fuisse, atque adeo neque Assyriorum exercitum internecione deletum); & aliud esse non posse, nisi illud ipsum: מִזְבֵּחַ: sive: Mopheth: i. e.: Portentum: quod v. 24. ejusdem cap. 32. Lib. 2. Paral. disertissime commemoratur his verbis: בְּנֵי מִם וָנוּ: *Baijamim bahem bhalab fehbizkijahu had-ham-maveth; vajtb Pallèl el-Adonai; vajdomer lo, umòphet nathan lō:* i. e.: *Iis ipsis diebus agrotavit Ezechias usque ad mortem: & supplex oravit ad Dominum; & loquutus est ad eum, & PORTENTUM dedit ei:* quod certe Portentum idem numero esse cum SIGNO A DOMINO, de quo lf. 38. 8. nemo jure negaverit. Assumpto autem sic explicato subsumimus: Atqui Signum, cuius promissio, & exhibitio refertur v. 8. cap. prædicti, erit Portentum vere universale, si nomen: Scemesc: in vocibus: Basscemeſc: &: Hasscemeſc: inclusum literali sensu Solem ipsum significet; ut quisquis qui Solem videre potest, per se videt: At fieri non potest, ut hujusmodi sit, si idem nomen utrobius significet solam Solis Lucem juxta Adversariorum interpretationem, juxta quam totum illud Signum, quantum quantum est, angustissimis finibus non unius Provinciæ Judææ, non unius Urbis Jerosolymæ, non unius Regiæ Salomonis, non unius Ezechiæ Cubiculi; sed unius tantummodo Horologii Achaz circumscrabitur. Omnino igitur postulant, ut nomen: Scemesc: utrobius literali sensu primum significet, non secundum.

XVII. Propos. VI. & ultima. Quoad reliqua, quæ in hoc v. 8. continentur, hæc videntur certa i. vox: חַנְנֵי: sive: Hin-neni: componitur ex: Hèn: adverbio certitudinis, & præsentia, & ex Affixo pronominis primitivi primæ personæ; valetque ad literam: Ecce ego: 11. He præfixum in voce: חַמְלָיוֹת: sive: Hammahiloth: non gerit tantum articuli munus, & casum indicat genitivum, sed est etiam demonstrativum, certosque quosdam in Scala Achaz notat Gradus, ad quos indefinitam restringit nominis: Maliloth: significationem: atque adeo tota illa vox ad literam reddenda est: Illorum (quos scilicet oculi, gestuque loquentis demonstrabant) Graduum: 111. In subsequenti particula (quæ in fine quoque hujus versus iterum repetita est): יְרֻדָּה: sive: Ascer jaredah: Relativum: Ascer: non ad remotius: Sel: sed ad proximum: hammahiloth: tamquam ad antecedens refertur. Verbum vero: Jaredah:, utpote tertia Præteriti persona, numeri singularis, generis fœminini, non cum nomine: Sel:, quod Hebræis masculini tantum generis est, construitur, sed cum nomine: Scemesc: generis et am,

& quidem satis frequenter, foeminini, q̄tioꝝ per Nominativi casus Ellipſim prætermiſſum ex propinqua voce: *Bassēmesc*: ſupplendum eſſe & LXX. Interpretes, & Chaldæus Paraphraſtes aperte demonſtrarunt, cum illi eam particulam reddiderint: *בְּשָׁמֶן אַנְחָתָה*: hic vero: *אַנְחָתָה* ..... *דָּנְהִבָּתָה*: ſive: *denehbīath* ..... *Scimscā*: Solis ſcilicet nomine in caſu nominandi expreſſo. Quare literalis prædictæ particulæ ſenſus non eſt: *qua Umbra descendit*:, ſed: *Quibus Gradibus descendit Sol*.. iv.: *רֹשֵׁעַ*: ſive: *Hēfer*: ſemel, & iterum repetitum, ſine controverſia no-men eſt Cardinale, denarii numeri proprium; idemque Hebræis valet, quod Latinis: *Decem*: . v. tandem Beth præfixum no-mini: *Maḥiūlōth*: biſ in hoc verſu occurrit, ſemel præfixum per Scevā, punctum vocale breviſſimum in ea periphrasi: *Bemahālōth Abhāz*: i. e.: *In Scala Achaz*: , ibique eſt Beth, ut vocant, inhærentiæ, indicatque ſubjectum in quo Umbra una cum Sole retroceſſura promittitur: iterum ſub finem verſus, præfixum per Pathach punctum vocale breve, certumque He de monſtratiui exclusi indicium in voce: *Bammaḥālōth*: ibique eſt partitivum: quo ſenſu uſurpatum (uſurpatur autem in fa-cris libris & frequenter, & eleganter) respondet Latinæ Præpoſitioni: *Ex*: vel: *De*: ; proindeque tota ea vox literali ſen-ſu ſignificat: *Ex illis ipſis Gradibus*: .

XVIII. Corollarium. Totius igitur verſ.8. cap.38. If. accu-rate expensi ex Proprietate Hebraicæ linguaꝝ, ex Textu, & ex Contextu literalis ſenſus alius eſſe non poteſt, niſi hic: *Ecce ego retrorsum redire facio Umbram illorum Graduum, quibus (Sol) descendit, in Scala Achaz una cum ipſo Solari Corpore decem Gradibus. Et retrorsum redit ipsum Solare Corpus decem Gradibus ex illis ipſis Gradibus, quibus descenderat.* .: His ſup-positis,

XIX. Assertionem primam, poſitam §.ii. ex proposito loco ita demonſtramus. Ad Iſaiæ preces illud factum eſt, quod in v.8. cap.38. If. & Deus faciendum promiſit, & factum Iſaias assertive enuntiavit: id quod, ut putamus, nemo, qui Scriptu-ram Sacram tamquam Dei Verbum recipiat, negaverit. In hoc autem v.8. & Deus vere, & proprie faciendam promiſit, & Iſaias vere & proprie factam assertive enunciavit non ſoliſ Umbrae in Horologio, vel Scalæ Achaz, ſed ipius quoque Solaris Corporis in Cælo retroceſſionem: id quod in dubium vocari jure non poteſt, cum ex una parte ex Propositionibus præmiſis ſatis conſtet, Verba totius hujus loci in proprio, naturali, atque

atque obvio sensu accepta literali sensu id ipsum significare; ex altera ex toto Ratiocinio, quo in Dissertatione de Sole Stante, quam altero ab hinc anno dedimus, certum sit, non licere in sensu solum improprio accipere Verba v.12. 13. & 14. cap.10. Lib. Josue; atque adeo neque Verba hujus, de quo agimus, loci propter evidentem in omnibus identitatem rationis: Ad Isaiæ igitur preces non sola Umbra in Horologio, vel Scala Achaz, sed ipsum quoque Solare Corpus in Cælo vere proprieque retrocessit. Atque hæc de prima Quæstione.

XX. Ad resolutionem autem II., cui occasionem dedit Vulgata Editio Latina, quæ cum in hoc v.8. cap.38. Is. tum in v.11. cap.20. Lib.4. Reg. periphrasim illam utriusque Hebræi Textus: **בְּמַלְאָכִים**: five: *Bemal'ālōth Abhāz*: exemplo Symmachii (cujus versio: **εἰς ὁρολόγιον**: exstat adhuc in Fragmentis, quæ supersunt, Hexaplorum Origenis) reddidit: *In Horologio Achaz*: ut viam expeditiorem muniamus, sit Præmissum: Quid rei fuerit Horologium Achaz, in quo juxta Vulgatam Umbra retrocessit, definiri non potest, nisi ex Hebræo loci utriusque Textu. Et ratio est: quia ex una parte ea vox: *Horologium*: in Latina utriusque loci Versione anceps est; ex altera aliunde, quam ex Hæbreo Textu literalis ejus sensus definiri non potest. Constat prima pars: quia vox: *Horologium*: si per se tantum spectetur, ex etymologia & usu generatim significat quemcumque quomodocumque horarum Indicem: Vere enim ad eam vocem in Thesauro Linguae Latinæ scribit Henricus Stephanus: *Quidquid quodam modo horas indicat, Horologium dicitur*; si spectetur vero simul cum Contextu, in quo diserte dicitur Umbra in Horologio Achaz, & reducenda, & reducta; ex illo determinatur quidem ad notandum in genere Horarum Indicem per Umbram; at non determinatur ad notandum in specie Horarum per Umbram Indicem in sensu tantum Vulgari, id est quodcumque Corpus Opacum, quod Soli expositum Umbra sua horas utcumque metitur; vel Horarum per Umbram indicem in sensu Mathematico; id est Horologium Sciothericum proprie, & rigorose dictum: Utrumque ergo indefinite significat; definite neutrum: atque adeo anceps sit necesse est. Secunda autem Pars constare debet: 1. siquidem definiri non potest ex alio ullo Sacræ Scripturæ loco, cum nullibi præterea in tota Vulgata Editione vox: *Horologium*: audiatur: Neque 11. ex ulla Ecclesiæ definitione, quæ nulla est: Neque 111. ex communi Versionum, Patrum, Interpretumque Consensu, qui quam nul-

Ius hac in re sit, Eruditis satis compertum est: Neque consequenter iv. ex perpetuo Ecclesiæ Sensu, de quo in tanta Patrum, Interpretumque dissensione nihil certi constat: Neque tandem v. ex ipso Textu, & Contextu utriusque loci Vulgatae Editionis: non ex Textu i. e. ex ea ipsa Periphraesi: *In Horologio Achaz:*; conjunctio enim vocis: *Horologium*: cum nomine: *Achaz*: æque profecto incertum facit, an vox: *Horologium*: possit ibi significare literali sensu *Horologium Sciothericum*, proprie, & rigorose dictum, quam incertum est, an ejus Horologii inventio Regis Achaz ætate recentior sit: non etiam ex Contextu; quippe qui ea continet Adjuncta, ut ex Catholicis ipsis Interpretibus, qui Editionem Vulgatam & sequuntur, & commentariis illustrant, Gabriel Alvarez in cap.38. II. ingenue confiteatur: *Quænam fuerit Horologii Achaz forma & fabrica speciatim, ac minutatim conjicere videtur esse difficile*: Thomas Malvenda in notis ad v.ii. cap.20. Lib.4. Reg. hoc ferat judicium: *Ambiguum est, an illud Solarium fuerit Gnomone sua Umbra notante lineas*:; & Augustinus Calmet in Dissertatione de Retrogradatione Solis diferte pronunciet: *Non nisi temere certi aliquid de ejus (Horologii) figura affirmaretur: quæ quidem Testimonia satis, ut putamus, demonstrant, ex solo utriusque loci Contextu literalem sensum vocis: Horologium: definiri non posse.* Supereft igitur, ut definiatur ex Hebræo Textu, ad quem licere recurrere, quoties in Vulgata Veteris Testamenti Editione occurrit anceps vox, cuius literalis sensus aliunde definiri non potest, adeo nemo Catholicorum negat, ut Ven. Bellarminus Lib.2. de Verbo Dei cap.ii. enumerans tempora, quibus licet nobis recurrere ad fontes Hebræos, Græcosque, ut Patres monent, hæc etiam scribat: *III. Quando verba, aut sententia in Latino est anceps, possumus recurrere ad fontes, si forte ibi non sit ambiguitas*:. Ut definiamus itaque literalem sensum vocis: *Horologium*: in ea periphraesi Vulgatae editionis: *In Horologio Achaz:*, & consequenter quid rei fuerit *Horologium Achaz*, in quo Umbra retrocessit, satis erit definire literalem sensum nominis: *Maḥālōth*: inclusa, & prout inclusa in ea Hebræi Textus periphraesi: *Bemaḥālōth Abbaz*:; quam Latina Edition semel, & iterum reddit: *In Horologio Achaz*:. Id quod, ut præstemus,

XI. Afferimus II. Vox: מַהְלֹת: sive: *Maḥālōth*: inclusa, & prout inclusa in ea periphraesi: *Bemaḥālōth Abbaz*: literali sensu significat veram Scalæ solidis e Gradibus constantem, non

non autem Horologium Sciothericum ex Gnomone , & lineis  
compositum . Et probamus : quia ex una parte ea vox inclusa ,  
& prout inclusa in dicta periphrasi potest literali sensu veram  
Scalam significare , Horarium autem Gnomonem significare non  
potest ; ex altera neque ex Sacra Scriptura , neque ex Traditione  
satis constat , a Rege Achaz , vel in ipso Regio Cubiculo , vel  
præ ejus Fenestris Horarium Gnomonem ita positum fuisse , ut  
Ezechias ex mortifero ulcere languens , lectuloque decumbens ,  
suis ipsem oculis Umbræ per decem ejus lineas regressum nullo  
suo incommodo intueretur ; satis autem constat & ex Sacra Scri-  
ptura , & ex Traditione , a Rege Achaz veram Scalam exstruc-  
tam fuisse sub dio è regione Regii Cubiculi , quæ proinde ex  
Authoris nomine : *Scala Achaz* : vulgo appellaretur , in qua ad  
Solis regressum Umbra quoque decem Gradibus continuo re-  
grederetur , quam denique Ezechias ex ipso , quo decumbebat ,  
lectulo commode spectaret ; atque adeo quæ voce : *Mahaloth* :  
inclusa , & prout inclusa in illa periphrasi : *Bemahaloth Abhaz* :  
literalissime significetur .

XXII. Primam Asumpti hujus partem , quoniam necessariæ  
brevitatis angustiis prohibiti scribendo non possumus , disputan-  
do certe demonstrabimus I. ex Radice ipsa , & Origine nomi-  
nis : *Mahaloth* : II. ex constanti ejus in sacris omnibus Hebræis  
Libris Usu , III. ex propria Hebraicæ Linguæ Dialecto in pro-  
priorum rerum nominum impositione , IV. ex toto Textu , at-  
que Contextu utriusque loci , de quo est quæstio , V. ex per-  
petua Hebræorum Traditione , VI. ex præcipuis Versionibus ,  
VII. ex communiori Patrum Consensu , VIII. ex Ratione ipsa  
Historica , & Chronologica , suadente , Scalarum quidem usum  
esse antiquissimum , Gnomonis autem horarii inventum Regis  
Achaz ætate longe recentius , ejusque usum Hebræis ante Ba-  
bylonicam captivitatem adeo incognitum , ut Hebræa Lingua ,  
quantum ex Veteri Testamento universo appareat , cum bene  
multis & generalibus , & specialibus abundet nominibus Tempor-  
is , ejusque partium , nullum omnino tamen habeat nomen  
duodecimæ diei partis , five Horæ , sine quo profecto Diei in  
xii. Horas divisio , & Horarii Gnomonis inventio ad eas exa-  
cte metiendas discernendasque inter homines esse non potest .

XXIII. Secundam vero partem , quatenus negat , five ex Sacra  
Scriptura , five ex Traditione constare , Horarium prædictum Gno-  
monem a Rege Achaz positum fuisse , tamdiu jure nostro assume-  
mus , quamdiu & certus aliquis Scripturæ locus , & legitima aliqua

## ( XXIV )

Traditio in contrarium non proferatur: quatenus autem affirmat, ex utraque constare, prædictam veram Scalam a Rege Achaz exstructam fuisse, quantum quidem attinet ad Sacram Scripturam, demonstramus ex v. 18. cap. 16. Lib. 4. Reg. Vulgatae Editionis, in quo de Achaz hæc leguntur: *Musach quoque Sabatti, quod ædificaverat in Templo, & ingressum Regis exterius convertit in Templum Domini propter Regem Assyriorum:;* & consentit fere ad literam Textus Hebraeus, quem proinde omittimus: Ex illo siquidem intellecto eo sensu, quem Cornelius a Lapide censet: *maxime obvium, & congruum:*, & idcirco longe plures e Catholicis Interpretibus probant, ( Abulensis, Casjanus, Malvenda, Joannes la Haye, Joannes Baptista du Hamel, Sanctius, Cornelius, Tirinus, Columbus, Mariana, Sà, Gordonus) satis constat, Regem Achaz translata Regia in Templo, ut vocant, Residentia ex atrio laicorum, in quo erat constituta, ut patet ex cap. 46. Ezechielis, in atrium Sacerdotum in gratiam Regis Assyriorum, aperuisse viam e domo Regis ad domum usque Domini per intermedia & laicorum, & Sacerdotum atria, diruto & muro Templi exteriore, & interiore septo, alterum atrium ab altero disterminante. Hoc autem posito, satis etiam ex Sacra Scriptura constat, I. Viam hanc aper tam fuisse per Hortum Regis (de quo fit mentio 4. Reg. 25. 4. & 2. Esdræ 3. 15. & Jerem. 39. 4.), Regum Judæ, & nominatim ex 4. Reg. 21. 18. & 25. Manassis, & Ammonis sepulchris notum: Hunc enim Regis Hortum unum intercessisse Regiam inter & Templum inde patet, quod adeo Regiæ adjaceret, ut 4. Reg. 21. 18. absolute appelletur: *Hortus domus Manassis:*; adeo autem ad Templum usque protenderetur, ut ex Ezech. 40. 8. unico pariete ab illo secerneretur. II. Hunc Regis Hortum in arduo, atque acclivi dorso Montis Moriae, cuius summum verticem Templum insidebat, consitum fuisse: Regiam siquidem Salomonis, quam Templo proximam omnes sacri Topographi agnoscunt, sub isto Monte exstructam fuisse, perpetua Scripturæ Sacræ consuetudo, qua transitus de domo Regis ad domum Domini appellatur Ascensus; contra reditus de domo Domini ad domum Regis appellatur Descensus, fatis demonstrat. III. Totum hoc arduum, & acclive dorsum Montis Moriae, cuius Templum imminebat, quod sine controversia Cælo sub aperto as surgebat, Regio, in quo Ezechias jacebat, Cubiculo obversum fuisse: Ex eo enim ipso Cubiculo videri ab eodem Ezechia in lecto decumbente exteriorem Templi murum potuisse Chaldæus

Para-

Paraphrastes aperte ostendit in eodem, de quo agimus, cap. 38.  
 Is. v. 2. in quo quod dicitur in Hebræo Textu: & convertit  
*Ezechias faciem suam El-hakkîr*: i. e.: ad parietem: reddit: le-  
*chothèl beth-Makdescâb*: i. e.: ad parietem *Sanctuarii*: IV. Hoc  
 ipsum Montis Moriæ dorsum, domum Regis inter, & Templi  
 Adytum interjectum, in plura plana intervalla distinctum fuisse:  
 Duo enim Templi Atria complanata fuisse, alterumque altero  
 superius, ex Ezechieliis descriptione nemo negat: Regium autem  
 Hortum sine aprica planicie cogitare non possumus; & natura  
 ipsa loci postulat, ut disperitus fuerit in plures Areas æquidi-  
 stantes, sensimque decrecentes, ex quarum altera ad alteram  
 leniter ascenderetur. V. Tandem per arduum hunc, clivosumque  
 tractum, frequenti æquata planicie per intervalla interruptum,  
 non potuisse & commodiorem, & magnificentiorem a Rege in  
 Regis gratiam aperiri viam, quam per plures ordinatas Gra-  
 duum series, per quarum singulas ab inferiori ad superiorem  
 aream & leniter, & magnifice gradus fieret; atque ex omnibus  
 una existeret Scala Cælo sub aperto e Regione Regii Cubiculi  
 sita, a domo Regis ad Templi usque adytum pertingens, toti-  
 dem intervallis distincta, quot planis, æquisque Areis totus ille  
 Montis tractus erat interruptus: Non aliter siquidem, ut patet  
 ex Ezechieliis descriptione, a via publica ad Sanctum Sanctorum  
 via aperta est, quam per duplicem Graduum seriem, directo  
 ordine constitutam, alteram vii. Graduum, per quam a Ve-  
 stibulo ad Atrium exterius, alteram Graduum viii., per quam  
 ab exteriori ad interius Atrium ascendebat. Si igitur satis  
 constat ex Sacra Scriptura, a Rege Achaz in gratiam Regis  
 Assyriorum a domo Regis ad Templi adytum viam fuisse aper-  
 tam; satis etiam ex eadem constat, ab eodem veram Scalam  
 sub dio e Cubiculi Regii regione fuisse exstructam. — Quan-  
 tum vero ad Traditionem attinet probamus ex S. Hieronymo,  
 qui Lib. ii. in Isaïam ita scribit: *Solent Sanctorum locorum in*  
*hac Provincia Monstratores intra Concepum Templi ostendere Gra-*  
*dus domus Ezechiae, vel Achaz, quod Sol per eos descenderit.* : quæ  
 consuetudo unde repeti possit, nisi ex Traditione ab Ezechiae  
 temporibus ad tempora usque Hieronymi, hoc est per XII. fere  
 fæcula Jerosolymæ constantissime retenta, quod Gradus, qui  
 ætate Hieronymi adhuc intra conceptum Templi supererant,  
 essent reliquiæ ejus Scalæ, quam a Regia ad Sanctum usque San-  
 torum Rex Achaz extruxerat, & in qua ad Ezechiae votum  
 Umbra una cum Sole retroacto reversa sit, non videmus.

XXIV. Corollarium. Nomen igitur : *Horologium* : in ea Vulgatae Editionis periphrasi : *In horologio Achaz* : literali sensu non significat Horarum per Umbram Indicem in sensu Mathematico , sive Horologium Sciothericum ex Gnomone , lineisque compositum ; quo profecto sensu Horologium dici vera Scala non potest : Sed in sensu Vulgari , sive quodcumque Corpus opacum Horas Umbra sua utcumque indicans ; quo sensu etiam vera Scala sub dio e Cubiculi Regii regione a Rege Achaz extorta , utpote Corpus aliquod opacum immobiliter defixum , Soli expositum , & ex alio atque alio Solis in Cælo positu diversis diei horis aliter , atque aliter Umbram projiciens , atque adeo Horas utcumque indicans , & verissime , & convenientissime Horologium potest appellari : sicut omnes Catholici unanimiter docent , plura nomina Fabulosa , quæ in Vulgata Editione leguntur , v. g. : *Filius Titan* : *Judith 16. 8.* : *Sirenes* : *Is. 13. 22.* *Onocentauri* : *Is. 34. 14.* : *Fauni* : *Jer. 50. 39.* : *Cœcytus* : *Job 21. 33.* *Arcturus* , *Orion* , *Hyadæ* , *Plejades* : *Job 9. 9. & 38. 31.* &c. Literaliter non accipi in sensu Poetico , sed in sensu Vulgari , quo homines proceri corporis , magnarumque virium *Filius Titan* , sive *Gygantes* ; animalia monstrosa immunda , & fera , *Sirenes* , *Onocentauri Fauni* ; locus teter , luctuosus , exitialis , *Cœcytus* ; Astra quæque maxime insignia , vel *Arcturus* , vel *Orion* , vel *Hyadæ* , vel *Plejades* ( specie pro genere posita ) dicuntur . Quod enim de Orionis nomine monuit S. Cyrillus Alex. Lib. II. in Is. Tom. IIII. , de reliquis ejus generis nominibus æque verum est : *Sciendum* , qui interpretati sunt Divinam Scripturam Orionis fecisse mentionem , ut inde unum aliquod ex Astris insignissimum significant ; nec dum ista dicunt , Græcorum incantamenta sequuntur sunt , sed usi sunt nomine usitato , & trito . : Cujus usus causam reddidit generatim S. Hieronymus in cap. 5. Amos his verbis : *Scire debemus* , *Hebræa nomina* , quæ apud eos aliter appellantur , *vocabulis fabularum Gentilium in linguam nostram esse translata* , *qui non possumus intelligere* , *quod dicitur* , *nisi per ea vocabula* , *quæ usu didicimus* , & *errore combibimus* : Ex qua eadem clarioris intelligentiae causa Hebræam vocem : *Bemahaloth* : in hoc de quo agimus , Isaiæ loco & Symmachum : *ιωπολογια* : , & se : *in Horologio* : reddidisse ita diserte profitetur idem S. Doctor Lib. XI. in Is. : *Datur autem signum* , *ut Sol X. GRADIBVS revertatur* , *quos nos juxta Symmachum in lineas* , & *horologium verius* , *qui Gradus intellexit in lineis* , *ut sensum manifestorem legentibus faceret* . : Ex qua declaratione ipsiusmet Authoris

ris Versionis Latinæ Vulgatae utriusque loci, de quo est quæstio, cum constet, nomine Horologii in ea periphrasi: *In Horologio Achaz*: illud idem intelligi, quod Hebræa voce: *Bemahaloth*: literali sensu significatur, nemo nobis jure succenseat, si posteaquam ostenderimus, Hebræa illa voce significari literali sensu veram Scalam, non Horarium Gnomonem; atque inde legitime deduxerimus, etiam in latina illa periphrasi: *In Horologio Achaz*: Horologii nomen literaliter accipi non in Mathematico sensu, sed in Vulgari; tandem concludamus, Horologium Achaz, in quo Umbra retrocessit juxta Editionem Vulgatam, non fuisse Horologium Sciothericum ex Gnomone, linisque compositum, sed veram Scalam solidis e Gradibus constantem.

XXV. Porro si in Vulgata utriusque loci Versione nomen Horologii literaliter accipitur in sensu Vulgari, non Mathematico, veramque Scalam, non Horarium Gnomonem literali sensu significat, consequens est, ut nomen quoque: *linearum*: in utroque Vulgatae Editionis loco sexies repetitum, literaliter in Vulgari sensu, non autem in Mathematico accipiatur, sensuque literali significet, non lineas Geometricas, sive longitudines latitudinis omnes expertes; sed solidos gradus veræ Scalæ, qui in vulgari Latinæ linguae sensu propriissime: *Lineæ*: dici possunt. Apud Latinos siquidem Lineam idem valere, atque Limitem satis demonstrant illæ Circorum, Stadiorum, Agrorum, Librorumque Lineæ, quæ apud Latinos Scriptores haud infrequenter occurunt. Limitem vero a Limo, i.e. Transverso derivari Latinorum omnium Grammaticorum una vox est. Atque adeo quidquid in longum porrigitur, spatiumque transversim secat, certasque spatii partes terminat, atque definit, id omne latinissime Linea dicitur. Scalarum autem Gradus in longum porrigi, spatium, per quod ascenditur, transversim secare, certasque ejusdem spatii partes gradatim terminare, ac definire nemo, ut arbitramur, in dubium revocaverit. Consequentia autem ratio est I. quia in vera Scala aliud Linearum genus locum habere non potest: II. quia in Hebreo Textu huic etiam Linearum nomini eadem respondet vox: *Maḥaloth*: quæ non nisi solidos, per quos ascenditur, gradus literali sensu significat: III. quia ipsam utriusque loci Vulgata Versio evidenter demonstrat, lineas istas nihil aliud esse, quam gradus, cum eam ipsam rem, quam sexies *lineas* vocat, quater *gradus* appellat, & ita appellat, ut de Synonyma utriusque nominis in utroque vulgatae editionis loco significatione dubita-



## ( XXVIII )

ri non possit . IV. denique quia ipsemet Vulgatæ hujus Versionis Author , S. Hieronymus , verbis superiore §. recitatis disertissime testatus est , Symmachum , & consequenter se quoque , ea una de causa , ut manifestiorem sensum legentibus faceret : *Gradus in lineis intellexisse* : Hinc

XXVI. Ad ultimam quoque , quæ è tribus propositis reliqua est , Quæstionem ut respondeamus , Asserimus III. Lineæ , si-  
ve Gradus decem , quibus Umbra retrocessit , neque singulæ sin-  
gulas horas , neque certam ullam , statamque temporis mensu-  
ram designabant ; sed pro diversis anni temporibus , diversoque  
Solis in Cælo positu , modo longiore , modo breviore , sem-  
per tamen semihora minorem . Quod non singulæ singulas in-  
dicarent horas probamus : quia vel singulæ singulas indicassent  
horas inæquales , vel æquales : si inæquales ; cum diei artificia-  
lis horæ inæquales , non nisi XII. sint ; in Horologio , vel Scala Achaz non nisi XII. esse potuissent lineæ , vel gradus . Si æqua-  
les ; cum dies longissimus Jerosolymæ sit horarum æqualium  
non amplius XIV. cum min. pr. V. in eo sive Horologio , si-  
ve Scala lineæ , vel gradus non nisi XIV. esse potuissent . Ex Optio-  
ne autem ipsa Signi ab Isaia Ezechiæ oblata IV. Reg. XX. 9. : *Vis* ,  
*ut ascendat Umbra decem lineis , an ut revertatur totidem gradib-  
us* : evidens est , in Achaz Horologio , vel Scala XX. , ut mini-  
mum , sive lineas , sive gradus fuisse . Quod nullam certam sta-  
tamque temporis mensuram designarent , probamus : quia ex to-  
ta Assertione II. constat , hoc Horologium Achaz fuisse veram  
Scalam a Rege Achaz in arduo , & acclivi dorso Montis Moriæ exstructam , ejusque Horologii lineas fuisse solidos ejus Sca-  
lae Gradus . Negamus autem solidos veræ Scalæ Gradus , sub dio  
immobiliter defixos , potuisse Umbra sua quolibet anni tempore ,  
& Sole in quolibet Zodiaci signo existente , unam , eamdem-  
que temporis mensuram designare . Id quod eo confidentius ne-  
gamus , quod Joannes Baptista Ricciolius , de cuius in re Gno-  
monica peritia dubium esse non potest , post relatam Almagesti  
lib. IX. cap. 37. opinionem eorum , qui Horologium Achaz non  
ex lineis , sed ex gradibus quasi Scalarum constitisse putant , ita  
pronuntiat : *sed hujusmodi Horologium , quod toto anno serviat*  
• • • • *DIFFICILLIMVM fuisse* : . Quod denique diversis an-  
ni temporibus diversam temporis mensuram , semper tamen se-  
mihora breviorem indicarent , videtur peculiari probatione non  
indigere : Ecquis enim sibi persuadeat , solidos Scalæ Gradus a Re-  
ge Achaz a Regia ad Templum usque exstructæ tantæ , fuisse la-  
titu-

titudinis, ut eorum Umbra ab uno ad alium intervallo temporis solida semihora breviori excurrere non posset?

XXVII. Corollarium. Non itaque Ezechianus hic dies totis XX. horis, neque X. neque etiam V. ( solidis quidem, atque integris ) cæteris diebus longior fuit; sed horis omni no paucioribus, quam V. Et ratio est: quia tot profecto, & non amplius, diei illi facta est horarum accessio, quot horis Umbra una cum Sole per X. saepius jam dictos gradus & insigni miraculo regressa est, & iterum ordinario motu per eosdem progressa. Horis autem omnino paucioribus, quam V. & regressa est, & iterum progressa: siquidem & horæ momento regressa est ( id quod efficaciter probamus I. ex toto utriusque loci cum Isaiae, tum Regum Textu, atque Contextu, II. Ex communiori Partum Interpretumque Consensu, III. Ex Congruentia gravissima petita ex Causa efficiente, & finali hujus miraculi ) & quoniam ex Assertione III. singuli eorum X. Graduum temporis mensuram indicabant semper semihora breviorem, paucioribus, quam V. horis iterum per illos progressa sit necesse est. Quo veluti fundamento posito, non improbabiliter dici defendimus, tribus, non amplius, horis, sive quarta tantum diei artificialis parte Ezechianum diem auctum fuisse: quæ opinio nobis placet, & quia habet Authorem Cosmam Aegyptium, ex Ecclesiasticis VI. Sæculi Scriptoribus non postremum, qui lib. VIII. Christianæ Topographiæ diserte affirmat in Ezechiæ Signo Solem: ἡρῷον διάσημα, τετέσι τετάρτον ἡμέρας: i. e.: horarum trium spatio, hoc est, quarta diei parte: retrocessisse: & quia tacite insinuatur a Sacra ipsa Scriptura, quæ cum Josuani diei XII. tantum horis aucti prolongationem cum Jof. X. 14. tum Eccli. XLVI. 5. vehementer amplificet, prorogationem vero Ezechiani diei nullibi ne verbo quidem significet, annon silentio ipso prædicat, horarum adeo pauciorum hanc præ illa fuisse, ut in ejus comparatione ne nominanda quidem videatur: & quia nititur Regula illa verissima, a qua in Miraculis afferendis nunquam est receundum, ut illa scilicet neque multiplicentur, neque prolongentur sine necessitate: solidarum enim trium horarum accessio e subito Solis per V. & XL. Cœli gradus regressu ei diei facta, est profecto tanta, ut & ad Miraculi Substantiam sit plus quam satis, & ad Miraculi ubique terrarum, ac gentium Evidentiam non sit minus quam satis.

XXVIII. Præfertim cum ex ipsa diei hora, qua hoc miraculum factum est, ejus Evidentia per se cæteroque illustrissima, multo

## ( XXX )

multo etiam illustrior fieri debuerit . Censemus enim , Horam ,  
 qua ad Isaiae preces Sol in Cælo totos V. & XL. gradus retro-  
 grado motu subito recucurrit , fuisse omnino IX. jam completam ,  
 sive III. post Meridiem : quæ videtur esse sententia & eorum  
 Patrum , qui vel affirmant , vel supponunt , Solem retrocessisse ,  
 quo tempore ad occasum jam declinaverat , & eorum , qui  
 vel affirmant , vel supponunt , Solem retrocessisse hora dñe X.  
 inchoata scilicet , atque adeo IX. omnino completa . Et Pro-  
 bamus : quia ex responsione Ezechiae IV. Reg.XX. 10. : *Facile  
 est , Umbram crescere &c.* : certum est , tempus , quo hæc age-  
 bantur , vespertinum fuisse : Matutino siquidem tempore , Sole  
 ab Ortu ad Meridiem progrediente , Umbras corporum decresce-  
 re facile est , crescere autem impossibile . Optio vero ab Isaia  
 Ezechiae proposita ibid. v.9. : *Vis ut ascendat Umbra X. lineis ,  
 an ut revertatur totidem gradibus* : satis indicat Umbram Gra-  
 duum in Scala Achaz eo ipso temporis articulo jam exrevi-  
 se ad dimidium usque ejus longitudinis , ad quam juxta naturæ  
 ordinem poterat adhuc ex crescere ; atque adeo Solem etiam in  
 Cælo jam confecisse dimidium ejus spatii , quod Meridiem inter  
 & Occasum interjacet , hoc est gradus V. & XL. & consequen-  
 ter horam ipsam IX. jam attigisse . Porro si ex Corollario præ-  
 cedente solidarum trium horarum spatio Sol retrocessit , & Ho-  
 ra IX. completa retrocessit ; ad Meridianum igitur Punctum III.  
 postquam ab eo jam recesserat , Hora iterum reversus sit nece-  
 se est , ( id quod disertissimis verbis döcent & Cosmas Ægyptius  
 loco jam indicato , & S. Ephrem Syrus in cap.36. Isaiae ) atque  
 adeo tribus integris horis post Meridiem iterum Meridiem & Je-  
 rosolymæ , & Babylone , & ubique gentium exhibuerit . Meri-  
 dies autem & ex altissimo Solis in Cælo positu , & ex summa  
 Umbrarum contractione , & ex vehementissima lucis , atque ca-  
 loris intensione , adeo oculis , sensibusque discernibilis est , ut su-  
 bita ejus renovatio post totas tres horas , ex quo jam præcesserat ,  
 ab hominibus vigilantibus , videntibusque cujuscumque ætatis ,  
 sexus , & conditionis non potuerit non sentiri , atque adverti .

F I N I S .

**I M P R I M A T U R.**

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii  
Apostolici.

*F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinop.  
Vicesg.*

**I M P R I M A T U R.**

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Reverendissimi Patris Ma-  
gistri Sacri Palatii Apostolici Ordinis Prædicatorum .

Asuntos Particulares  
curiosos misticos  
y literarios.

Año de 1812.